

JOANNIS DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS, ORDINIS MINORUM,

OPERA OMNIA

EDITIO NOVA

JUXTA EDITIONEM WADDINGI XII TOMOS CONTINENTEM A PATRIBUS FRANCISCANIS
DE OBSERVANTIA ACCURATE RECOGNITA

TOMUS VIGESIMUS TERTIUS

REPORTATA PARISIENSIA

LIBER SECUNDUS. Dist. XII-XLIV. — LIBER TERTIUS. Dist. I-XXXV

LIBER QUARTUS. Dist. I-VI.



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCXCIV

DIST. XXV. QUÆSTIO UNIC.

117

DISTINCTIO XXV.

QUÆSTIO UNICA.

*Utrum aliud a voluntate causat actum
ejus effective ?*

Alens. 2. p. q. 74. m. 4. et 8. D. Thom. 1. p. q. 63. a. 2. 3. et 4. Henr. quodl. 12 q. 5. et quod l. 5. q. 14. Goffred. quodl. 6. q. 7. Bellarm. lib. 3. de gratia et libero arb. per totum. Castro contra hæres. v. liberum arbitrium. Vide Scot. in Oxon. hic et 4. d. 49. q. 11. n. 10. et 2. Phys. q. 13.

1. Circa hanc distinctionem vigesimam quintam quæritur primo : *Utrum aliud a voluntate causet effective actum in voluntate ?* Quod sic. Per Aristotelem 3. de Anima, text. 54. *Ordo est moventium, et motorum*; quoddam est movens motum, ut appetitus; quoddam movens immobile, ut appetibile, etc. Et quod Aristoteles ibi loquatur de movente effective, et non metaphorice, ut finis, patet, aliter enim æquivocaret movens, quia aliud movens, de quo loquitur, movet effective.

Item, voluntas non est potentia activa; igitur alia a voluntate causant actum in voluntate effective. Antecedens patet, quia *potentia activa est principium transmuli aliud inquantum aliud*, 5. Metaph. text. com. 17.

Item, accidens per accidens non oritur ex principiis supposito; sed volitio est accidens per accidens respectu voluntatis, quia potest sibi

inesse et non inesse, manente supposito.

Item, quod est in potentia contradictionis, non ex se determinatur ad unum; voluntas est in potentia contradictionis; igitur oportet quod per aliud determinetur.

Oppositum, Augustinus 12. de Civit. Dei, cap. 6. *Si duo æqualiter affecti habeant objecta æqualiter moventia, æqualiter approximata, unus cadit, alius non. Unde igitur cadit iste, et alius non ?* Respondet, *non nisi propter voluntatem*. Cum igitur omnia sunt eodem modo disposita, ut ipse supponit si objectum causaret actum in voluntate, impossibile esset quod unus caderet, et alius non.

Item, Augustinus 3. de liber. arbitr. *Nisi velle esset in nostra potestate, neque esset aliquis laudandus, neque vituperandus, neque etiam monendus, et talis exterminandus esset de hominum numero*. Ex hoc arguo: Non est in potestate patientis non pati, quia si agens agit, patiens patitur; cum igitur non est in potestate patientis quod agens non agat, igitur nec in potestate ejus erit posterius, quod necessario consequitur; igitur motus, qui est velle sic, vel sic, non est in potestate voluntatis, si effective causetur ab alio a voluntate.

Anselmus de conceptu Virginali cap. 4. *Anima est seipsum movens*.

2. Contra. Argumentum primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Item, Augustinus de vera Religione : *Nihil tam in potestate nostra sicut ipsa voluntas*; et idem vult lib. 83. quæst. q. 8. sed voluntas potest alias potentias movere; igitur potest se movere.

Quintum.

Item, Philosophus 9. Metaph. cap. 5. text. 10. *Potentia rationalis valet ad opposita*, et arguit ibidem, *cum irrationalis statim procedat ad actum soluto prohibente, igitur si indifferens, ut indifferens, aliquid producat, contraria simul faciunt; ideo potentia rationalis nihil facit, nisi determinatur*. Quid igitur determinat? respondet: *Hoc dico appetitum proheresim*, id est, electionem; igitur per ipsum potentia rationalis potest se ipsam determinare, et maxime voluntas.

Ratio 3.
Sextum.

Item, objectum voluntatis, ut voluntatis, est finis; igitur ut sic movet metaphorice; igitur ut sic, non effective, quia movens effective in quantum tale, movet propter finem; sed non ex hoc, quod movet ut finis, movet propter finem; igitur objectum voluntatis, ut voluntas est, non movet effective.

Septimum.

Item, potentia nobilissima non potest esse tantum passiva; sed intellectus et voluntas sunt nobilissimæ, et maxime voluntas; igitur est activa.

SCHOLIUM I.

Prima opinio Goffredi volitionem fieri a phantasmate, et idem de intellectione, quia movens et motum sunt distincta subjecto, quod probatur quadrupliciter. De hoc late actum est in Oxon. i. dist. 3. quæst. 7. a num. 5. Secunda opinio est Henrici, quod objectum in se, vel ut cognitum, est causa volitionis; idem tenet de intellectione, cujus causam ait esse objectum, ut relucens a phantasmate, de quo late ibidem, num. 12.

Dicitur ad quæstionem, quod aliud a voluntate causat effective actum in voluntate; et illud est phantasma, quia oportet movens et motum esse distincta subjecto; sed nihil intrinsecum menti est distinctum subjecto a voluntate; igitur nihil quod est in intellectu, potest movere voluntatem effective. Major patet, quia idem est ponere movens et motum non esse distincta subjecto, et ponere idem movere se; sed hoc est impossibile propter multa. Primo, quia tunc sequitur quod idem esset in actu, et in potentia simul respectu ejusdem; hoc autem impossibile est, quia agens debet esse tale in actu, quale est passum in potentia, ut patet i. de Generatione, et 3. Phys. text. 17. Igitur hoc principium negare est destruere totam Philosophiam.

Secundo ad idem: *Materia et efficiens non coincidunt*, 2. Phys. text. 20. Motum se habet ut materia respectu motus; igitur impossibile est idem movere se ad aliquid.

Tertio ad idem: Movens refertur realiter, 5. Metaph. text. 10. ejusdem ad se non est relatio realis. Probatur, quia relativa realia sunt opposita realia; igitur non compatiuntur se in eodem.

Quarto ad idem: Agente approximato et passo disposito, semper est actio; igitur si voluntas esset activa respectu sui, semper esset actio. Sic arguit Philosophus 2. de Anima, text. 52. *Si sensus esset activus, cum sentire sit immanens, semper esset actio*, sentiendo se, vel saltem si non semper esset volitio, quia voluntas est libera, tamen posset semper esse volitio; consequens est

3.

Opin. Goffr.
Ratio 1.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

falsum, quia non potest esse volitio, nisi intellectione prævia; incognita enim amare non possumus, per Augustinum 8. de Trinit. cap. 4. et lib. 9. cap. 51.

4.

Objectio.

Si dicatur quod non sequitur, quia objectum est causa *sine qua non*, et ideo non potest esse semper volitio, nisi objecto præsentem.

Responsio.

Contra, sic posset sustineri quod quodlibet semper agit in se quantum est ex parte sui, quod tamen non semper agit in se, hoc est, quia aliquid deficit *sine quo non*. Unde lignum est combustivum sui, non tamen comburit se, nisi igne præsentem, quia ignis est *sine quo non*; ita igitur probabiliter posset sustineri quodlibet agere in se sicut voluntatem agere in se.

Quinta.

Item, omne agens æquivocum et totale est nobilius effectu, et principium agendi nobilius termino formali producto; sed si voluntas causat velle in se, hoc erit actione æquivoca; igitur voluntas erit quid nobilius voluntate volente.

5.

Item, duæ auctoritates Aristotelis adducuntur, quod voluntas vult conformiter intellectui, 7. Ethicor. et similiter 2. de Generatione Animalium. Sed ista sunt auxiliata, quia sive tenetur actus in voluntate ab alio quam a voluntate, sive ab ipsa, æqualiter sunt ista difficilia.

Dicitur igitur pro ista opinione, quod intellectus agens non movet possibile, neque aliquid in intellectu movet voluntatem, cum non sint distincta subjecto; sed phantasma potest movere intellectum et voluntatem, quamquam non sit phantasma alicubi, quin ibi sit intellectus; adhuc tamen intellectus est alibi, ac

si non esset ibi; et sic potest salvari sufficienter, quod movens et motum semper sunt distincta subjecto. Intellectio igitur et volitio est immediate a phantasmate immediatione causæ, etsi non immediatione effectus, quanquam intellectio sit prior in ratione effectus quam volitio, non tamen mediatione ratione causæ, quia tunc motum et movens non essent distincta subjecto.

Alia opinio ponit eandem conclusionem, quod aliud a voluntate causat actum in voluntate, sed illud est objectum ut cognitum. Illud patet in simili per Averroem 12. Metaph. text. com. 36. qui dicit quod balneum in re extra movet effective vires sensitivas; sed balneum in anima movet voluntatem; ergo objectum ut cognitum movet voluntatem.

Item, sicut in appetitu sensitivo objectum sensatum causat actum in appetitu sensitivo, sic objectum cognitum in appetitu intellectivo.

Et si dicatur contra istos, objectum intellectus potest esse nihil in se, igitur nihil potest effective causare, quia non est intelligibile quod pro illo nunc, pro quo actu causat, sit actu nihil, oportet eos dicere quod objectum ut cognitum causat, et hoc est dicere quod intellectus per intellectionem causat volitionem, quia loquendo de cognitione abstracta, manifestum est quod potest esse aliquid cognitum, quando nihil est in se.

SCHOLIUM II.

Contra duas præfatas opiniones resolvit, voluntatem causare suum actum. Primo, contraria circa idem immutatum non possunt fieri a

Henrici
opinio
quodl. 12.
quæst. 5.Vide D.
Thom. p. 1.
q. 77. et 1.
2. q. 9. et
p. 1. q. 31.

causa naturali, sed *nolle* et *velle* sic sunt. Secundo, alias volitio non esset in dominio hominis. Tercio, ex auctoritatibus Patrum et Philos. adductis ad oppositum.

6. Istæ duæ opiniones concordant in hoc, quod aliud movet et causat volitionem ab ipsa voluntate, et contra istas in generali sunt rationes principales ad oppositum, et deduco eas ulterius, primo sic: Agens naturale limitatum non potest esse per se causa contrariorum circa idem objectum æqualiter dispositum; sed possumus habere *velle* et *nolle* circa idem æqualiter dispositum ex parte sui; igitur idem objectum non potest esse causa per se istorum contrariorum; igitur aliud erit proprium objectum, respectu cuius est *nolle*, ut malum, et aliud respectu cuius est *velle*, ut bonum; sed malum non potest causare *nolle* positive, quia privativum in quantum tale, non per se causat positivum; igitur voluntas causat *nolle* effective.

Secundo ad idem, homo est dominus actuum suorum; sed passio non est in potestate patientis naturaliter; igitur volitio non est in potestate volentis, et per consequens nec illi actus, et sic nullus vituperandus.

Dicitur hic quod sic, quia voluntas determinat intellectum ad considerationem unius, et potest ad unum convertere, vel avertere, et pro tanto est in potestate volentis, licet non quantum ad actum primum.

7. Contra, in primo instanti, in quo occurrit tale phantasma, tunc primo evigilanti prima actio per se est mere naturalis; igitur volitio causata, quia non est in potestate

nostra quin visis tangamur, Augustinus 3. de Libero arbit. per talem actionem intellectus est mere naturalis. Si igitur voluntas potest imperare potentiis, hoc non erit per istum actum primum; tum quia ille actus primus non est in potestate voluntatis; tum quia ille actus non est considerando, vel non considerando, sed causatur mere naturaliter. Quid igitur facit istum actum, quo voluntas imperat intellectui ad considerandum, vel ad non considerandum? Voluntas enim non potest aliis potentiis imperare, nisi per actum voluntatis, vel nisi velit eis imperare, vel nisi velit ipsas exequi imperium, a quo est illud *velle* effective. Aut igitur istum actum causat in se immediate, tunc pariter ratione standum est in principio; vel hoc habet aliunde, et tunc imperium suum non est in sua potestate.

Dicit, potest occurrere impedimentum, quamquam hoc phantasma sit natum movere ad sibi propinquum.

Ex hoc habetur propositum, quia quocumque fiant circulationes, impedimentum occurrens non est plus in potestate nostra, quam bovis euntis ad pascua, si occurrat sibi aliud magis delectabile in eundo, prosequitur illud, illud tamen impedimentum non est in potestate bovis; sic nihil fieret per imperium voluntatis, nisi voluntas possit aliquem actum in se causare.

Dicitur aliter, si simul occurrunt in phantasmate delectabile et delectabile in actu, in potestate voluntatis est sistere intellectum in turpi, dimittendo aliam partem, et tunc sequitur mala electio.

Refellitur. Contra, quæro, si illa duo simul occurrentia sunt æque efficacia momenta voluntatem, vel intellectum, et si sit nihil effective ex parte voluntatis, simul eligit utrumque, vel neutrum? Si phantasma unius efficacius moveat, igitur illud eligit, quia per efficacius movens ad unum contrariorum non potest passum reduci ad actum contrarium. Igitur si voluntas potest libere, hoc non erit per actum vehementiorem, quo imperabit ad oppositum, nec per actum debiliorem, stante vehementiori; igitur a se imperabit ad cessationem vehementis. Non enim sistitur voluntas per hoc quod est voluntas solum, si nullo modo causet effective actum in se.

Dicit quod voluntas præcipit per aliquid *velle* impressum ab objecto; igitur voluntas ante sistitur per illud objectum magis efficax.

SCHOLIUM III.

Refutatur in speciali opinio Goffredi. Primo, quia causa æquivoca totalis est perfectior suo effectu. Secundo, alias anima separata et Angelus nihil intelligerent, nec se moverent, quia secundum ipsum, idem non potest esse agens et patiens. Solvit quinque rationes Goffredi positas num. 3. et seqq. explicando varia principia et difficultates Philosophicas.

9. Opinio Goffredi oppugnat. Contra primam opinionem arguitur specialiter: Si phantasma est causa totalis et æquivoca intellectus et volitionis. igitur est simpliciter perfectior intellectione et volitione; igitur phantasiatio est nobilior felicitate Philosophorum, quam ponebant consistere in intellectu et volitione. Non enim potest ille Doctor ponere aliud agens, videlicet intellectum agens, quia agens et patiens necessario

sunt distincta subjecto, per eum.

Item, Angelus et anima separata possunt operari volendo, et non potest poni in eis phantasma causans volitionem; igitur oportet quod Deus immediate causet malum *velle* in voluntate primi Angeli; vel si ponatur aliud agens, ut cælum, vel quodcumque aliud objectum, oportet principium suum negare, quod causa æquivoca totalis est nobilior effectu. Unde non est probabile ponere quod anima separata, vel Angelus nullo modo possit movere se, sed quod starent immobiliter in quocumque ubi ponerentur, ac si essent in carcere.

Nec valet arguere, quod Philosophi non viderunt quomodo poterit esse nova intellectio in Angelis, quia ipsi de Angelis erraverunt, et ubi falsa sunt principia, non est mirum si dicant falsas conclusiones. Si tamen ipsi convenissent nobiscum, quod Angeli acceperunt *esse* post *non esse*, ipsi bene admisissent novas intellectiones in Angelis et hoc necessario habent Theologi ponere.

Ad primam igitur rationem pro prima opinione dico, cum dicit, *movens et motum esse distincta subjecto*, aliqui dicunt quod hoc est verum in corporibus. Dico tamen quod nec ibi, nec in spiritibus; unde credo quod Deus non posset facere Angelum ita nudum cum generali influentia, quin possit intelligere se, et tunc idem esset movens, et motum.

Ad primam rationem contra, cum dicitur quod ista sunt ejusdem positionis, movens et motum esse distincta subjecto, et idem movere

Secundum Goffred. anima nihil intelligeret.

10.

Rationes Goffredi solvuntur.

Vide Henricum quodl. 10.

Ad primam. Idem potest esse movens et motum i.

* voluntas

Replica Goffredi.

Rejicitur.

8.

Alia responsio.

Item

Selbstbewegung

d. 7. et 2.
d. 3. q. 10.

se, hoc est falsum secundum multos, dicentes quod species intelligibilis movet intellectum, et objectum cognitum voluntatem; et tunc dicunt movens et motum esse indistincta subjecto, et tamen negant idem esse principium agendi et recipiendi, tamen concedo in proposito, quod idem movet se, et est in actu et in potentia.

Et cum dicitur, passum est tale in potentia, quale agens in actu, dico quod hoc est verum in actione univoca, et impossibile est quod idem sit in actu ens formaliter tale, et in potentia ante actum formaliter tale; tamen in actione æquivoca nunquam oportet hoc esse verum, quia ibi agens oportet esse nobilius, et virtualiter tale.

Unum aliquid simul in actu et potentia.

Et si capiatur quod nihil idem potest esse simul in potentia ad aliud, et actu habere eminenter, dico quod istud est falsum, quia ut in pluribus natura habet principium activum ad illud, cuius est capax, etsi non semper, ideo natura dedit eidem, quod potest recipere augmentativam potentiam, activam et nutritivam, et nobilissima forma ut intellectiva habet potentias activassuæ perfectionis accidentalis, ut in pluribus, respectu cuius est susceptiva. Et quia non potest in talibus dare potentiam activam et passivam in diversitate subjecti, cum potentiæ sint non organicæ, ideo non distinguuntur subjecto; ideo quamquam in corporibus alia sit pars mota, et alia movens organice, quia corpora habent talem distinctionem, tamen in non organico erunt istæ potentiæ unitivæ, et sine distinctione subjecti.

Ne tamen fiat æquivocatio de hoc vocabulo *potentia*, dico quod loquendo de actu et potentia uno modo, quodlibet præter Deum potest dividi per actum et potentiam, ita quod prius est in potentia quam in actu. Loquendo tamen de ente in potentia alicujus perfectionis, quam debet recipere, quod tamen est ens simpliciter, nihil prohibet ipsum esse simul in actu virtuali, et in potentia formali ad perfectionem talem, quam debet recipere. Nec est illud oppositum principio Metaphysicali, quia principia Metaphysicalia sunt notissima; igitur notis terminis statim sunt nota, et multis non occurrit hoc principium notis terminis, imo apparet eis, quod est falsum; ideo accipiendo potentiam pro principio passivo receptivo actus, et actum, ut distinguitur contra ens in potentia, secundum quod res dicitur in potentia, quamdiu non habet esse extra causam suam, plane petitur quod deberet probari, et cum hoc, assumptum est falsum, quia substantia est nobilior accidente, et nobilitati suæ non repugnat posse recipere accidens, nec etiam repugnat enti perfecto efficere; igitur non repugnat sibi, quin illud efficeret in se propter perfectionem suam.

Dicunt, saltem agens est virtualiter tale, quale est suus effectus, et tamen potest esse in potentia receptiva per se ad talem effectum; igitur habens aliquid modo eminenti esset in potentia ad habendum illud modo minus eminenti. Consequens est falsum, quia sic Sol, qui est virtualiter calidus, esset in potentia ut esset formaliter calidus, et simili-

11.

Idem simul est in actu virtuali, et in potentia formali.

liter Deus posset esse formaliter tale quale est virtualiter, et per consequens posset esse formaliter asinus.

12.

Quando habens aliquid eminenter potest habere illud formaliter.

Dico quod hoc est sumere non causam ut causam, quia aliquando in eadem re sunt diversæ proprietates, et tunc quando aliquid competit sibi ratione unius proprietatis, probatur inesse illi ratione alterius proprietatis; quia videtur quod in hoc ente consequitur talis effectus, quia habet talem proprietatem, et infertur quod ubicumque illa proprietas reperitur, debeat sequi talis effectus. Sic in proposito in quibusdam exemplis, assumptum est verum, quod habens aliquid modo eminenti, non est in potentia ad habendum illud modo minus eminenti, tamen universaliter sumpta est propositio falsa, quia in multis præhabens aliquid modo eminentiori, ut virtualiter, est in potentia ad habendum illud formaliter. Nec est hæc causa in Sole, quare non potest esse calidus formaliter, ex hoc quod sit calidus virtualiter, quia si hoc esset causa præcisa, cum Saturnus non sit calidus virtualiter, nec etiam Luna, sequeretur quod uterque posset esse calidus formaliter. Alia igitur est causa quare Sol non est receptivus caloris formaliter, quia caliditas est qualitas, quæ non est receptibilis, nisi in re corruptibili, ideo ignis, quantum est ex parte sui, est receptivus caloris formaliter, cujus est effectivus sicut aqua, esto quod calefiat, sibi dimissa redit ad frigiditatem a se, ita quod est affectiva ejusdem frigiditatis, et receptiva ejusdem, secundum aliquem gradum. Sic, esto quod ignis posset

Quare Sol non est formaliter calidus.

remitti in calore, sibi dimissus efficit in se calorem formaliter, et tamen passum præexistit tale virtualiter.

Similiter, exemplum de Deo singulare est, quia Deus habet omnem perfectionem modo infinito, et talis modus excludit omnem componibilitatem. Non igitur est hoc solum, quia præhabet aliquid virtualiter, quod non potest suscipere illud formaliter, quia nunquam impedit, quantum est ex se, quando præhabet talem qualitatem limitate. Unde subjectum habet virtualiter et eminenter propriam passionem effective, et tamen potest esse tale formaliter. Et hoc est de intentione Aristotelis 7. Metaph. text. 32. *Ad hoc quod generetur substantia, necesse est quod præexistat substantia in actu*; non autem ad hoc quod generetur quantum, vel quale, est necesse quod præexistat tale in actu, sed sufficit quod præexistat in potentia virtuali.

Ad aliud, cum dicitur materia et efficiens non coincidunt in idem numero, dicitur quod in voluntate possumus duo considerare, vel inquantum est appetitus; vel inquantum liber. Inquantum appetitus recipit, inquantum liber, efficit.

Sed illud non valet, quia proxima ratio constituendi speciem, ut differentia ultima, est proxima ratio recipiendi propriam passionem; non enim recipit homo risibilitatem ratione animalis, sed ratione, qua rationalis est. Et per istam responsionem æqualiter posset sustineri quod quælibet species posset agere in se, ita bene non libera sicut libera, et ratione materialis vel generis, possit recipere, et ratione differen-

13.

Ad secundum. Goffredi. Henrici. quodl. 1. q. 11. rejicitur.

Aqua re-
ducens se
ad frigid-
tatem, tota
agit et pa-
titur.

tiae vel formae possit efficere. Et manifestum est quod cum aqua redit ad propriam naturalitatem, tota aqua agit, et tota aqua paritur; forma enim non agit in materiam suam.

14. Præterea, ille Doctor alibi dicit quod genus et differentia differunt per intentiones, et dicit quod differentia intentionis non arguit quod sit res alia; igitur ipse habet concedere quod voluntas cum recipit in quantum appetitus, et efficit in quantum libera, ratione ejusdem realitatis primo agit et patitur. Ideo concedo quod per eandem realitatem primo est voluntas receptiva, activa et effectiva; nec per aliam rationem realem elicit et recipit, sed solum per aliam rationem causatam ab intellectu nostro. Aristoteles vero 2. *Physic text.* 68. loquitur de materia transmutationis realis, quæ est materia alia, quam sit subjectum, quod coincidit in efficiente, quod dicitur proprie efficiens distinctum contra agens, sic enim efficiens transit in materiam extrinsecam, sicut omnis factio; non autem sic actio.

Ad tertiam. Quæ relationes reales possunt esse in eodem.

Ad aliud, concedo quod relationes reales possunt esse in eodem simul realiter sed quædam sunt relationes essentialium, ut causa et causatum; aliæ sunt originis, quæ non habent dependentiam inter se, ut pater et filius; aliæ habent dependentiam tantum accidentalem, motum enim secundum id quod est, non dependet a movente, in quantum tale, sed solum quantum ad aliquod accidentale, quod recipit per motum. Loquendo igitur de relativis, primo

De hoc 1.
d. 28.

modo, dico quod talia relativa non possunt esse in eodem numero, quia in nulla una natura, sicut patet in divinis; loquendo de relativis secundo modo, ipsa bene compatiuntur se in eadem natura, sed non in eadem persona. Si igitur talia opposita relativa, ut causa et causatum, pater et filius possunt esse eadem res, loquendo de eo quod subest respectibus, idem esset recipiens esse a se. Tertio modo non sunt repugnantia in eodem, quia inter ipsa est tantum dependentia accidentalis; idem enim potest accipere perfectionem accidentalem a se.

Dices, relativa tertio modo sunt opposita, dico quod ipsa denominative accepta non sunt simpliciter opposita, ideo eadem res simplex ratione ejusdem realitatis primo posset esse movens et motum; sed accepta in abstracto sunt opposita, et ideo nunquam activa motio est passiva; sed non repugnat quin possint esse simul in eodem, sicut repugnant albedo et nigredo.

Ad aliud, sustinendo quod quamquam voluntas sit activa, tamen intellectio est *sine qua non*, vel objectum, quamquam nihil agat, sicut ponunt alii quod intellectio non est sine phantasmate actu, et illud facit ordo naturalis potentiarum.

Et cum dicitur contra, quod tunc pari ratione posset dici quod lignum agit in se, præsentem ignem, et quando deficit illud *sine quo non*, ut ignis, lignum non comburit, dicitur quod non est simile, quia apparet quod ignis approximatus huic ligno, et illi æqualiter disposito, semper uniformiter comburitur lignum; sed

Idem dependet a se accidentaliter.

15.

Ad quartum. Intellectio causa sine qua non volitionis.

Unde constat quod lignum non comburit se igne approximato.

objecto uniformiter disposito non semper æqualiter vult voluntas, ideo manifestum est quod illud non potest esse a ligno, sicut ex alia parte a voluntate.

Sed illa responsio non sufficit, quia adhuc adversarius posset hoc salvare, dicendo quod lignum semper uniformiter comburit se approximato illo uniformiter *sine quo non*; et voluntas non æqualiter efficit actum in se præsentem objecto, quia lignum agit naturaliter, et voluntas libere; ideo ista est cautela, quia homo de opponente facit se respondentem.

Dico igitur quod oportet patiens ab alio pati, et ubi non potest ab alio pati, sequitur quod patitur a se; sed voluntas non patitur in actu suo ab alio creato a se, quia velle est in potestate volentis, sed agens extrinsecum non est in potestate volentis.

Aliquid prærequiritur ad effectum, quod non sit causa ejus.

Dices, effectus non dependet nisi a causis prioribus, ut materia efficiente, quantum ad fieri; igitur si objectum non sit activum, nec est materia actus volendi; igitur non dependet ab objecto; igitur semper erit in actu, sicut sensus semper sentiret, si esset activus.

Dico quod necessario est aliqua prioritas naturæ, quæ non est prioritas causæ respectu effectus, quia secundum sic arguentes, intellectio est necessario prius natura volitione, et tamen non in aliquo genere causæ; igitur tale *sine quo non*, necessario præexigitur; et non sufficiunt causæ per se ad fieri, ut activa et passiva. Istam prioritatem oportet ponere, propter ordinem potentiarum, et tamen potentia in-

ferior non est causa superioris. Unde phantasiatio non est causa totalis intellectionis, et tamen necessario est prius in nobis, ut plurimum, et maxime secundum istum Doctorem, qui ponit quod agens et patiens sunt distincta subjecto, oportet ponere prius volitione aliquid in parte intellectiva, ut intellectionem, quæ tamen per eum, nullo modo est causa voluntatis.

Dico igitur quod quando unus effectus est posterior alio effectui, et neuter habet rationem causæ respectu alterius, posterior effectus habet dependentiam ad causam propriam, et ad effectum priorem, tanquam ad *sine quo non*. Unde totus radius est immediate a Sole immediate causæ, et tamen non potest fieri pars remotior a Sole, nisi prius natura fiat pars prior. Proprie igitur loquendo de dependentia effectus ad illud, quod dat sibi esse, effectus tantum dependet ex causis per se; loquendo tamen de illo ad quod dependet tanquam necessario præexactum, dependet ad illud tanquam ad aliquid *sine quo non*.

Et cum dicit Aristoteles quod sensus semper sentiret, dico quod verum est, quia licet effectus posterior via generationis, dependeat a priori, nunquam tamen e contra. Sensus autem exterior est prius in actu suo via generationis, vel origine, quam potentia interior; ideo licet sensus semper esset in actu suo, non sic esset intellectus quamquam; esset activus, quia adhuc non potest exire in actum sine actibus prioribus origine, quos præsupponit. Nec propter hoc esset dicendum

Sensus si esset activus semper ageret, exponitur.

Nunquam
naturæ est
ignobili-
tanda sine
manifesta
necessita-
te.

quod quodlibet esset activum in se, et tantum deficit *sine quo non*, quia, ut vult Aristoteles, 2. de Gener. *Natura semper agit, quod melius est*; sicut igitur nunquam est ponenda pluralitas sine necessitate, sic nunquam est natura ignobilitanda sine necessitate. Sed perfectius est aliquid, si est in potentia receptiva alicujus perfectionis, si habeat potentiam activam respectu ejusdem, ideo natura supplevit defectum, ut frequenter, ubi potuit. Cum igitur existens in actu primo perfecte, et tantum in potentia accidentali ad actum secundum, non eget agente extrinseco, ad hoc quod exeat de potentia ad actum, ut patet *octavo Physicorum, et secundo de Anima*, illud est nobilitas naturalis.

17. Ideo dico universaliter, quod omne existens in actu primo perfecte, sufficit ad hoc quod exeat in actum secundum, nisi possit manifeste probari quod aliud ad hoc requiratur, sicut manifeste patet quod visus non sufficit existens in actu primo, ad hoc quod exeat ex se in actum secundum, quia ut patet, in tenebris non videmus. Rationabile igitur est quod voluntas, quæ est nobilissima perfectio, existens actu primo, possit exire in actum secundum, et nulla habitudo, vel consequentia est, si voluntas est sufficiens ad faciendum se in actu secundo; igitur lignum, quod est in potentia ad actum primum caloris, potest causare in se actum primum et secundum.

Nihil agit
in se ac-
tione uni-
voca.

Præter hæc, omnis indifferentia in actibus potest reduci ad voluntatem, quasi ad causam illimitatam,

non sic aliqua alia causa creata. Similiter lignum, si posset comburere se, ageret in se actione univoca; et dictum est prius quod hoc est universaliter impossibile, nihil enim agit in se actione nisi æquivoca, et talis actio magis facta nihil subjicit a substantia. Nullum enim agens actione æquivoca corrumpit substantiam suam per actionem magis factam. Nunc autem si lignum combureret se, tandem totam substantiam corrumpere.

Dices, actus primus perfecte potest esse sufficiens ad causandum actum secundum in alio, non autem in se. 18.

Contra, existens in actu primo non eget alio agente ad hoc quod exeat ab otio in actum. Calor igitur est, quo agens agit, et illud quo vel secundum quod, reducitur ad rationem principii activi, 5. Metaphys. text. 2. et 3. *Ad idem genus ars et ædificator reducuntur*; igitur non solum est ibi actio transiens, sed oportet ibi esse actionem de genere Actionis ad aliquem terminum, cujusmodi est operatio, quæ erit actio immanens, quia illud exire ab otio in actum non causatur in alio; igitur sicut causat aliquid in alio, sic potest actus primus aliquem actum secundum causare in se.

Ad aliud, cum dicitur, *voluntas esset nobilior voluntate volente*, dico quod voluntas volens est unum compositum, quod est ens per accidens, et in quantum productum accipitur ut sub termino formali, et sic concedo quod nobilior sit voluntas, quam voluntas ut volens, hoc est, ut terminus formalis, non

Ad ratio-
nem 5. Gof-
fredi. Vo-
luntas per-
fectior vo-
luntate
volente.

tamen accipiendo totum, cujus pars nobilior præsupponatur, quia illa pars non producit, et ideo sub illo intellectu non esset efficiens omne nobilior effectu per accidens. Exemplum ad hoc: Esto quod aliqua qualitas solum adveniat substantiæ, ut lumen, si conservaretur per se, posset alterare substantiam; totum illud generatum est nobilior ratione accidentis. Sed quod præsupponitur non est ignobilior, puta substantia. Quomodo autem agens est præstantius passio, dictum est prius, quia ignobilior est eo, quod passum est in actione æquivoca.

SCHOLIUM IV.

Solvuntur duo argumenta pro opinione Henrici posita num. 5.

19. Ad primum pro secunda opinione, cum dicitur quod balneum in anima movet ut efficiens, si sustineatur quod objectum movet effective, licet non sit causa totalis, tunc potest sustineri quod balneum movet ut efficiens extra, ut finis. Sustinendo tamen quod sit tantum *sine quo non*, et nullo modo movens effective, tunc oportet glossare, quod non movet effective per se, sed per accidens.

Dices, causa per se est prior causa per accidens; sed ista est prima causa, quia prius origine oportet objectum esse præsens, quam movetur potentia ad objectum.

Dico quod omnis causa per se est prior causa per accidens, vel natura, vel perfectione. Non autem semper origine prior, quia prius origine est amotio prohibentis,

Respondet
quibusdam
argumen-
tis Hen-
rici.

1. Nihil
agit

2. Nihil
agit

quam motus gravis deorsum, tamen ipsummet est prius, sed non prius movet se, quam amoveatur prohibens. Nunc autem modo non oportet quod causa respectu ejusdem finis, semper præcedat causam per accidens, sed sufficit quod respectu alterius finis, ut foditio est causa per accidens inventionis thesauri, et non præcessit actio per se inventionem, nisi propter alium finem.

Ad aliud cum dicitur, appetitus sensitivus movetur a suo appetibili, igitur intellectivus a suo. dico quod oppositum sequitur ex hoc quod unus est liber, et alius non, quia secundum Damascenum, lib. 2. cap. 22. et 23. 43. *appetitus sensitivus ducitur, et non ducit*; sed intellectivus ducit, et non ducitur.

Appetitus
sensitivus
ducitur.
non ducit,
intellecti-
vus e con-
tra.

SCHOLIUM V.

Ex dictis resolvitur, nihil aliud a voluntate esse causam totalem volitionis. Addit quod alias sequeretur nihil contingenter evenire.

Dico igitur ad quæstionem, quod nihil creatum aliud a voluntate est causa totalis actus volendi in voluntate, quia aliquid evenit contingenter in rebus, hoc est, evitabiliter (sic loquitur Aristoteles in lib. 1. Perihermen. cap. ultimo: *Necessario evenire, hoc est inevitabiliter*); illud igitur quod contingenter evenit, ita evenit, quod tunc posset non evenire in sensu diviso. Quæro igitur, a qua causa contingenter evenit; vel a causa determinata potente se determinare, vel non potente? Si a non potente, oportet quod per aliud determinetur ad unum; vel si exeat in actum, ut

20.

CIT

indeterminata, simul faceret utrumque vel neutrum; igitur oportet quod in illo instanti, in quo evenit, eveniat a causa indeterminata potente se determinare.

Intellectus non potest determinare voluntatem ad actum.

Dicit, ista determinatio est ex parte intellectus sic repræsentantis objectum voluntati.

Contra, intellectus indeterminatus se habens ad hoc fore et non fore, non potest determinare se, nisi ad unum istorum nisi sophistice. Si enim determinet se ad unum per rationem necessariam, ad oppositum non potest determinare se, nisi paralogizetur. Si igitur determinatio esset ad unum illorum, ad quæ se habet contingenter, solum ab intellectu, hoc non posset nisi in quantum paralogizabilis; igitur a voluntate nihil posset immediate contingenter evenire, et probatum est in primo; quod tunc nihil contingenter eveniret, cum in voluntate divina sit ponenda prima ratio contingentia.

D. s. q. 5. et d. 39.

Item, intellectus non est causa contingens, cum talis actio sit per modum naturæ, ideo dicitur Filius procedere per modum naturæ.

Dices, Philosophus dividit naturam contra intellectum et agens a proposito; non igitur intelligit quod intellectus sit causa per modum naturæ.

Dico, quod intellectus potest accipi secundum quod est quædam potentia operativa, vel secundum quod intellectus et voluntas sunt principium concurrentia respectu practicabilium, quæ extrinsecus producuntur per intellectum et voluntatem. Primo modo parum loquitur Philosophus de intellectu,

sed secundo modo multum frequenter fere per totum librum *Ethicorum*, et 9. *Metaphysic.* et 3. *de Anima*, et 2. *Physic. de potentia rationali*; et isto modo agens per intellectum distinguitur contra agens per naturam. Præter hoc, sine contradictione posset esse appetitus intellectivus non potens se determinare, sed appetens per modum naturæ, sicut fingit Anselmus *de casu Diaboli*, cap. 12. quod primo esset unus Angelus, qui haberet intellectum vel appetitum tantum, ita quod posset habere affectionem commodi, et non daretur sibi affectio iusti. Iste Angelus cum non possit appetere nisi tantum intelligibilia, et hoc per modum naturæ, sicut nunc appetitus sensitivus appetit per modum naturæ convenientia secundum sensum, nec appeteret ille convenientia secundum intellectum. Nihil igitur est creatum præter voluntatem, quæ potest se determinare ex se, et per consequens nihil aliud creatum a se potest esse causa totalis volitionis.

Ad primum principale, sustinendo quod objectum movet effective voluntatem, non tamen est causa totalis, tunc auctoritas Aristotelis est pro me. Vel sustinendo quod tantum appetibile movet metaphorice, tunc vult Aristoteles intelligere quod sicut appetibile movet appetitum metaphorice, ita appetitus motus movet effective animal ad exequendum, ut acquiratur illud appetibile.

Et cum dicitur, tunc æquivocaret, illud nihil valet, quia adhuc inter ista est ordo secundum genus causæ posterioris ad prius genus

Ad argum. 1. in principali quæst.

21.

Agens in se agit in se ut in aliud.

22. Ad secundum.

causæ, ut efficientis ad finem; et Aristoteles potuit dixisse sic expresse intentionem suam, quod unum movet metaphorice, et aliud effective, et potest dimittere ne exprimat, sicut in graviore auctoritate dicitur, scilicet in Scriptura sacra Eccl. 31. *Qui potuit transgredi, et non est transgressus. Potuit transgredi non refertur ad Christum, sed dicitur de alio Sancto, et non est transgressus tantum refertur ad Christum. Medietas igitur auctoritatis refertur ad caput, et alia medietas ad alia corporis membra.*

Ad aliud, concedo quod voluntas est potentia activa; et cum dicitur, non est principium transmutandi aliud in quantum aliud, quia objectum non aliter se habet propterea, quia est volitum realiter; igitur voluntas non transmutat objectum. Si quis vellet dicere quod ipse loquitur de potentia activa, quæ est factiva in 5. *Metaphysic.* sic concedenda esset conclusio, quod voluntas non est factiva; tamen quia videtur generaliter esse, dico, sic ipsemet exponit, 9. *Metaphysic.* ubi dicit, *est principium transmutandi aliud, aut in quantum aliud*, ut medicus sanat se, non in quantum medicus, et tamen certum est quod non sanat alium. Sic igitur intelligendo potentiam activam, ut est terminus a quo, in quantum causaret perfectionem, quam recipit in termino ad quem, sic verum est quod transmutat aliud, vel in quantum aliud, ut est in termino a quo, et in termino ad quem; et per hoc patet ad illud dictum ibidem, *nihil in quantum ipsum agit in seipsum*, verum est, ratio formalis transmu-

tabilis, ut dicit terminum oppositum termino ad quem, non est ratio formalis termini ad quem.

Ad aliud, nego cum dicitur, *accidens per accidens non oritur ex principiis intrinsecis alicujus entis*. Cum enim oporteat procedere donec ad illud a quo causatur, perveniatur per intrinseca, sive in se, sive in alio, cum ipsum posse causare tale accidens per accidens, nullam perfectionem tollat ab eo, nec etiam in creaturis ipsum posse recipere, tollit perfectionem, igitur pari ratione standum in principio, quod forma perfecta possit causare in se accidens per accidens.

Ad aliud, cum dicitur quod est in potentia contradictionis ad aliquam, non determinat se ad unum, dico quod aliqua est forma in potentia contradictionis, ut scientia contrariorum, et ista non potest determinare se, quia est diminuta, et non potens se complete determinare ad unum, et ideo, ut vult Aristoteles, si talis potentia ex se procederet ad actum, simul produceret contraria. Alia est causa indeterminata, quæ est causa completa potens se determinare ad unum istorum, et ista est rationalis complexa, ut voluntas cum intellectu, et hoc necesse est dicere, si aliquid sit contingens; et talis potest determinare, et complete se determinare, quia est indeterminata active. Quæ tamen est indeterminata passive tantum, vel active incomplete, nunquam potest se ad unum indifferentium determinare, cujusmodi sunt materia et scientia.

23. Ad tertium. Accidens per accidens procedit sæpe ab eo in quo est.

Ad quartum.

Causa indeterminata libera, potest se determinare.